

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Hopener Adolph Schumacher

Disputatio Astronomica De Circulis Coelestibus Primi Mobilis

Rostochii: Pedanus, 1623

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729451879>

Druck Freier  Zugang



Tracs. Kloppener, Johannes

Resp. Schumacher, Adolph

R. U. phil. 1633

65
89.

Disputatio Astronomica
De
CIR CULIS
COELESTIBUS
PRIMI MOBILIS.

Quam divina aspirante gratia.

SUB PRAESIDIO
VIRI DOCTISSIMI

JOHANNIS HOPPENERI Rostochiens.

Privatim,
tueri conabitur

ADOLPHUS SCHUMACHER
Holsat. Schleswicens.

Die 25. Januarij horis Matutinis.



ROSTOCHII.

Litteris Mauritij Saxonis ANNO attendenti Super
M. DC. XXIII. 1^o in Januarii 8th fuit

*Levato, clarissimo
Orbi summo vero tri-
fusco Fabri ad
utriusq; subfatu
sit et.*



Illustrissimo nec non Celsissimo
Principi ac Domino,
DOMINO FRIDERICO
Hæredi Norvegiae, Duci Schlesvici Holsatiæ,
Stormariæ & Dithmaria Comiti in Olden-
burg & Delmenhorst Domino meo
Clementissimo.

Subiectiſſ, Alumnus V. C.

D. D.

ADOLPHUS SCHUMACHER
Schlesvic.

1700
MDCXXII



DISPUTATIO ASTRO- NOMICA *De* CIRCULIS COELE- STIBUS.

THEISIS I.

*Vm ad omnes disciplinas videatur
Astronomia viam quodammodo parare, atq;
securum monstrare aditum, merito cum alia-
rum artium, & pietatis studijs conjugenda
sejudicamus.*

II.

*Si enim is pro homine nullo modo censendus nec haben-
dus est, ut Plato vult, qui numerorum notitijs destituitur;
multo minus etiam appellatione studiosi dignus est, qui Astrono-
miam, quo ad omnia studia & vita partes utilis & necessaria
est, ignorat.*

III.

*Ne autem quis difficultatem, & sublimitatem rei, tam
procul posita, quam hæc doctrina tractat pretendat; breviter
circulorum cœlestium de primo mobili descriptionem discutien-
dam proponemus.*

IV.

*Est igitur Circulus figura retunda in concava superficie
A 2 primi*

primi mobilis ad motum stellarum fixarum circumducta de-
scripta, qui ab artis hujus artificibus in maiores & minores di-
stinguitur.

V.

Majores sunt, qui spharam suo ambitu in duo hemisphaeria
æqualia dispeſcunt, quorum sex in cœlesti theatro numerantur:
Horizon, Meridianus, Æquator, Zodiacus, colurus & quinectio-
rum & Solſtiorum.

VI.

Horizon, qui latine finitor dicitur, est Circulus major di-
videns cœlum in duo hemisphaeria in visum & non visum, cuius
polus est loci vertex.

VII.

Dividitur autem Horizon bifariam, 1. in rectum, & obli-
quum. 2. in rationalem & sensibilem.

VIII.

Horizon rectus est, qui cum æquatore facit angulos re-
ctos, & cujus plano uterque mundi polus incumbit.

IX.

Horizon obliquus, qui cum æquatore facit angulos obli-
quos, & supra cujus planum alter polorum mundi elevatur,
alter deprimitur.

X.

Horizon rationalis est, qui partem cœli visam à non visa
separens convexo terreni globi incumbit, & circumquaque usque
ad extremum cœlum percurrit.

XI.

Horizon sensibilis est, qui à nostro visu in termino visionis
circumscribitur, & est terræ spatium rotundo definitum ambitu
quod in plano campo acies visus complectitur.

XII.

Hujus dimetientem Macrobius trecenta sexaginta stadia
con-

continere ex sententiâ Eratosthenis cap. 14. lib. Saturnal.
Septim. Scriptum reliquit.

XIII.

Quæ sententia & observationibus quadrat & parum à
Geometricis demonstrationibus dissentit.

XIV.

Nam cum 15. millaria Germanica & quentur stadijs 700, se-
midiameter visualis sensibilis Horizontis erit quatuor millia-
ria germanica.

XV.

Hujus circuli utilitas est multiplex. Primò. Est causa recte
& obliquæ sphærae. Quò enim Horizon aliquis polum mundi
magis elevatum habet, eò etiam magis obliquam sphæram ha-
bebunt illi, qui in tali Horizonte habitant: & quò minus ele-
vatum polum habet Horizon quispiam, eò quoq; minus obli-
quam sphæram nanciscerent degentes in tali Horizonte.

XVI.

Secundò. Est mensura diei & noctis artificialis. Nam dies
artificialis nihil aliud est, quam mora solis supra Horizontem.
Nox verò mora solis infra eundem.

XVII.

Quæ mora tantummodo ex arcubus parallelorum supra,
vel infra Horizontem, quos sol ad motum diurnum describit,
cognoscitur: ita ut si Horizon dividat omnes parallelos per
equalia, ut sit in sphæra recta, perpetuò dies noctibus sunt
æquales: Si verò per inæqualia, diebus noctes sint inæquales.

XVIII.

Tertiò. Manifestat puncta ortus & occasus omnium side-
rum, & quantum eorum ortus, occasusq; distet à vero sive
æquinoctiali ortu, cuius rei rationem maximam habent Astro-
nomi præcipue in quantitatibus umbrarum præfiniendis.

A 3

Meridie.

XIX.

Meridianus est circulus magnus per mundi & Horizontis polos ductus, dividens Horizontem ad angulos rectos in duas partes aequales, ad quem Sol primi mobilis motu delatus inter diu meridiem, noctu medium noctem efficit.

XX.

Ex cuius descriptione apparet, tot esse Horizontes, quot sunt Meridiani. Cum enim Meridianus per Horizontis polum ductus secet Horizontem ad angulos rectos in partes aequales, sequitur mutato Meridiano Horizontem suum in cœlo situm mutasse.

XXI.

Numerantur autem secundum Cosmographicos, qui per populos mundi & singulos Äquatoris gradus Meridianos describunt, Meridiani, 180, quarum quilibet transit per duos gradus oppositos.

XXII.

Verum si sensus Judicium consulere velimus, 96. Meridiani constituendi sunt. Quot enim principij diei variationes secundum quadrantem horæ, tot sunt Meridiani.

XXIII.

Hujus Circuli usus & utilitas est. Primo ut dividat tempus diei artificialis in antemeridianum & Pomeridianum, diesq; & noctes in spatia aequalia distinguat.

XXIV.

Nam cum Meridianus dividat Horizontem ad angulos rectos in partes aequales, pars illa, qua est versus sinistram dicitur antemeridiana. Pars verò versus dextram nominatur postmeridiana; Sic etiam de partibus diei & noctis.

XXV.

Secundò indiat nobis etiam solis, aliorumq; siderum altitudinem

dinem meridianam, que nihil aliud est, quam arcus meridiani circuli inter Horizontem & solem Sidus vè interceptus.

XXVI,

Tertio demonstrat Locorum Latitudines, & elevationes Poli. Nam cum alicuius loci latitudo nihil aliud sit, quam arcus meridiani circuli inter æquatorem & punctum verticis comprehensus, sequitur poli elevationem nihil aliud esse quam arcum Circuli Meridiani inter Horizontem & polum elevatum continentem.

XXVII.

Æquator sive Æquinoctialis est Circulus major, aequaliter à polis mundi (circa quos fit diurna revolutio corporum cœlestium) distans, dividens Zodiacum in duas partes aequales, quarum una septentrionalis, altera Meridionalis nuncupatur.

XXVIII.

Dicitur autem æquinoctialis, quia sole sub eo existente dies noctis fit aequalis, exceptis, quibus polus est verticalis.

XXIX.

Illis neq; Dies neq; Nox est, sed crepusculum. Sol enim eorum Horizontem attingit, sed non super illum elevatur, neq; ascendit.

XXX.

Hujus officia etiam sunt varia & multiplica; Primo est mensura & regula primi motus. Nam cum æquator vel æquinoctialis circulus aequaliter & uniformiter supra Horizontem elevetur, singulis horis 15. gradus ascendunt.

XXXI.

Secundo est terminus declinationum omnium stellarum tam fixarum quam planetarum. Nam omnis declinatio, si-
ve di-

we distantia stellarum & planetarum versus alterutrum polo-
rum mundi ab Aquatore numeratur.

XXXII

Tertiò indicat etiam, qua pars cœli dicatur septentriona-
lis Borealis vè, & qua Australis seu Meridionalis. Pars enim,
qua interjicitur inter polum septentrionalem & equinoctia-
lem nuncupatur septentioinalis: Altera verò pars, qua inter
cundem equinoctialem circulum & Polum australem colloca-
tur, appellatur meridionalis.

XXXIII.

Ex quibus facile percipi potest, quenam sidera & signa
septentrionalia, quenam Australia nominantur.

XXXIV.

Quandocunq; enim stella vel Planeta aliquis fuerit in eâ
parte cœli quam septentrionalem vocari diximus, Septentrion-
alis dicitur; quando verò in illa cœli parte extiterit, quam
Australem nominavimus, Australis nuncupatur:

XXXV.

Zodiacus est Circulus major, obliquè spharam inter duos
tropicos Cingens, habens longitudinem 12. partium, sub quo
Planete perpetuo feruntur.

XXXVI.

Dicitur autem Zodiacus, quod propter continuum sub hoc
planetarum motum omnia hæc inferiora vitam habeant, ut
passim Aristoteles in suis operibus referat.

Nam

XXXVII.

Nam *Lwn* i.e. vita, ο *ζώδιον* animal dicitur, quia in 12. partes aequales, quae animalium nomine notantur, dispe-
scitur.

XXXVIII.

Dicitur etiam signifer, quia Astronomi partibus hujus Circuli imagines imposuerunt, quae signa nominantur, unde signifer.

XXXIX.

Nominatur etiam Eccliptica, quia Luminaribus sub eo consistentibus contingunt Ecclipses. Ecclipses solis si ambo Luminaria sub eo fuerint conjuncta: Ecclipsis Lunæ si Luna Soli fuerit opposita.

XL.

Hujus usus etiam multiplex est. Primo Est mensura & regula motus Secundi, qui fit ab occasu in ortum. Sicut enim per Aequinoctialem circulum cognoscimus, quantus sit motus stellarum diurnus: ita quoq; per Zodiacum numeramus quanto tempore stelle fixæ & planetæ, qui secundum obliquitatem Zodiaci feruntur suos motus proprios ab occidente in orientem absolvant.

XLI.

Secundo indicat Latitudinem Planetarum, nam Latitudo omnium stellarum tam fixarum, quam errantium à Zodiaco computatur, quemadmodum Aequator omnes declinationes Astrorum terminat.

B

Differit

XLII.

Differt autem Latitudo & Declinatio stellarum hoc modo; quia Latitudo est distantia ab Eccliptica, Declinatio distantia ab Aequatore.

XLIII.

Et hæc distantia est duplex, secundum quod stella quævis recedit ab Eccliptica vel Aequatore in Boream aut Meridiem. Nam si Stella ab Ecclipticâ ad Boream vergit, dicitur habere Latitudinem Septentrionalem: Si vero in Meridiem Latitudinem meridionalem habere pronuntiatur.

XLIV.

Eadem ratione Stella recedens ab Aequatore versus Septentrionem habet declinationem septentrionalem seu Borealem: recedens autem in Austrum, declinationem Australem, Meridionalem vè obtinet.

XLV.

Tertiò indicat stellarum atq; Planetarum vera loca, ut non sit difficile beneficio Eccliptice nosse, in quô signo & gradu signi Planeta aut Stella existat.

XLVI

Colurus est Circulus magnus per mundi polos descriptus dividens Zodiacum & Aequatorem in quatuor quadrantes æquales, quarum duæ aquinoctialia, reliqua Solstitialia nuncupantur.

XLVII.

Sunt autem duo, unus, qui per puncta Solstitialia traducitur, vocatur colurus Solstitialium: Alter vero, qui per inter-
seccio-

sectiones Zodiaci & Äquatoris sive puncta Äquinoctialia
trahuntur, dicitur colurus äquinoctiorum.

XLVIII.

Colurus Äquinoctiorum est circulus magnus per polos
Äquatoris ductus, distinguens puncta äquinoctialia, quorum
unum vernalē, alterum Autumnale appellatur.

XLIX.

Colurus Solstitionum est Circulus magnus per polos Äqua-
toris & Zodiaci simul ductus, indicans puncta solsticia-
lia, quorum unum aestivale, alterum Hybernae Solstitione
nominatur.

L.

Horum Circulorum utilitas etiam est multiplex. Pri-
mò demonstrant quatuor puncta principalia, que cardinalia
dicuntur & in quibus ex motu solis maxime temporum multa-
tiones fieri solent, ut ver, Aestas, Autumnus & Hyems.

LI.

Secundò distribuunt 12. Signa Zodiaci in duas classes in
signa septentrionalia & meridionalia, in ascendentia & de-
scendentia.

LII.

Tertiò patefaciunt tres ortus & occasus maxime celebres,
Äquinoctialem Aestivalem & Hybernalem.

LIII.

Äquinoctialis ortus est in intersectione Äquatoris &
Horizontis, (quam indicat linea meridianæ linea in plano Ho-
rizon-

rizontes ad angulos rectos apta) in quâ oritur Sol, cum est in AEquatore.

LIV.

AEstivus verò ortus occasusq; designatur Tropici aestivii inter sectione cum Horizonte, in qua sol oritur cum solstitium facit aestivum.

LV.

Hybernum autem ortum occasumq; Brumalis Tropici cùm Horizonte imperfectio demonstrat, in quâ sol oritur in Bruma.

LVI.

Circuli minores sunt, qui sph̄eram suo ambitu in partes inaequales dispescunt & numerantur quatuor: Tropicus Caneri, Trop: Capricorni, circulus Arcticus & Antarticus.

LVII.

Tropicus Caneri est Circulus minor, quem Sol dum longissime ab AEquatore versus Boream deflectit, ad motum primi mobilis describit.

LVIII.

Tropicus capricorni est circulus minor, quem Sol dum longissime ab AEquatore versus Austrum deflectit, ad motum primi mobilis describit.

LIX.

Arcticus circulus est, quem Polus Zodiaci ad motum primi mobilis circa polum mundi Arcticum describit.

LX.

Circulus Antarcticus est, quem polus Zodiaci ad motum primi mobilis circa polum mundi Antarcticum describit.

Hi

LXI.

Hi quatuor Circuli distinguunt terram in quinque Zonas,
quarum una Torrida, due Temperata & due Frigidae nomi-
nantur.

LXII.

Zona Torrida est, que Zodiaco est subjecta, & inter Trop-
icum Cancri & Capricorni continetur, cuius latitudo est 47°
partium, qua conficiunt 706. millaria germanica.

LXIII.

Hanc Zonam veteres Cediderunt esse inhabitabilem & de-
sertam ob immensos solis effusus: Verum Lusitanorum & Hispa-
norum navigationes sententiam veterum refellunt, dum ubi-
rem & omnium rerum fertilissimam omnibusque exultam tra-
dunt. Dicitur autem Torrida aliarum Zonarum collatione.

LXIV.

Temperata Zone sunt, qua Temperatam AEris constitu-
tionem obtinent & inter Tropicum Cancri & circulum Arcti-
cum & inter Tropic. capricorni & Antarcticum sunt constitu-
tae. Harum Latitudo utriusque est 43. partium, qua continent
645. milliar: germanica.

LXV.

Zona frigidae sunt, qua perpetuo frigore torpent ob defe-
ctum reflectionis radiorum solarium, qui nimis obliqui ad eas
feruntur, & includitur circulo Arctico &
Antarcticō.





Humanissimo Ornatisimo Dn. Respondenti.

SCilicet hoc hominem præ brutis for-
mat & ornat,

Quod queat erectus rectâ ratione tueri
Astia poli, summumq; DEUM, qui cuncta creavit
Concelebrare. Sed heu! permulti sydera spectant,
Non tamen attendunt, quām pulchrè, quamq;

potenter,
Quam benè, concinnò, constanter & ordine justo
Condita cuncta sient: Nec eum qui condidit illa
Agnoscunt, laudantvè. Vocandus is ergò beatus
Quē juvat altijugis domibus cognoscere scansis,
Quod Deus existat clemens, sapiensq; potensq;
Macte igitur tantà virtute Sūavis ADOLPHÈ,
Qui sursum spectans moliris Mobile primum,
Quæ vel habet cœlum, meliori indagine nosse.
Non equidem benè respondent sibi Nomen &

omen;

Indigitaris enim SCHÜMACHERUS, tamen à te
Calceus haut suitur, circū spernendo pedes quæ,
Vel quæ sub pedibus, redolent terrestria vel quæ,
Nec spectare solū, ceu bruta animantia, semper,

Te

Te juvat, ast vultu sublimi conspicis astra,
Inq; polum penetras magnomolimine mentis.
Perge bonis avibus, vigili conare labore
Illud, ut edoctus claras cum moribus, artes,
Ad patrios remigrare lares, hominiq; Deoq;
Inservire queas. Sic digna βεζεα manebunt
Te, mentumq; tuum seros mansura per annos.

τέτο. πλάκεδίασμα τεγεφιλῶς

F.

Theodorus Niemann

Neostadio Helsatus.



LXI.

Hi quatuor Circuli distinguunt terram in
quarum una Torrida, due Temperata & du-
natur.

LXII.

Zona Torrida est, que Zodiaco est subjecta
picum Cancri & Capricorni continetur, cuius
partium, que conficiunt 706, millaria germana

LXIII.

Hanc Zonam veteres Cedererunt esse inha-
sertam ob immensos solis effusus: Verum Lusitan
norm navigationes sententiam veterum refel-
rem & omnium rerum fertilissimam omnibus g-
dunt. Dicitur autem Torrida aliarum Zonarum

LXIV.

Temperata Zone sunt, que Temperatam
tionem obtinent & inter Tropicum Cancri & Ca-
cum & inter Tropic. capricorni & Antarcticu-
m. Harum Latitudo utriusque est 43. partium
645. milliar: germanica.

LXV.

Zona frigida sunt, que perpetuo frigore &
etum reflectionis radiorum solarium, qui nini-
feruntur, & includitur circulo Ar-
Antarctico.



027

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. UTT